



**Rigor Moderatus Doctrinae Pontificiae Circa Usuras A SS.  
D. N. Benedicto XIV. Per Epistolam Encyclicam Episcopis  
Italiae Traditus**

Specimina ulteriora exhibens Moderationis Pontificiae, à P. Concina violatæ

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii, 1751**

Art. 5. De Pretio Censur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63780)

In Bavaria extat *Ordinat. Polit. lib. 2. tit. 1. art. 5.*

In Anteriori Austria Edictum FERDINANDI Archiducis anno 1572.

De multis Hispaniæ Regnis testatur NAVARRUS in *C. Si sancta. veris. n. 104. & 120.*

Item VELASQUEZ de AVENDANNO de *Censib. Hispan. quest. 46.*

& 47. ubi tenet, etiam antiquos Censum frumentarios reducen-  
dos esse ad pecuniam,

Varias Decisiones Galliæ refert MOLINÆUS de *Commerc. quest. 21.*  
à n. 215.

(b) Vid. CONRADUS de *Contract. q. 79. concl. 2. & 3.*

§. 220.

Difficillimum erit, justum annui Censum pretium arbi-  
trari, nisi publica lege, aut communi singularum Provin-  
ciarum consuetudine figatur. Proportionem inter pretium  
& Censum annuum vel menstruum iisdem vocibus solemus  
denotare, quibus Romani designabant quantitatem Usura-  
rum vocabulis desumptis ex Affis Romani partibus. Op-  
portunè igitur apponenda videtur

Art. V.  
DE PRETIO  
CENSUS.  
Proportio  
Censuum  
Usura-  
rum.

Ta-



Tabula Usurarum ad partes Assis Romani distributarum,  
juxta monetam Germanicam, in qua Florenus compu-  
tatur pro 60. Crucigeris.

| Hor.                                  | crucig.                  |                           |   |                                       |   |                             |   |             |                 |
|---------------------------------------|--------------------------|---------------------------|---|---------------------------------------|---|-----------------------------|---|-------------|-----------------|
| 12                                    | -                        | 60                        | - | Centesimæ                             | - | 100                         | - | 8           | 4               |
| 11                                    | -                        | 55                        | - | Deucies                               | - | $109\frac{1}{11}$           | - | 9           | $1\frac{1}{11}$ |
| 10                                    | -                        | 50                        | - | Dextantes                             | - | 120                         | - | 10          | 0               |
| 9                                     | -                        | 45                        | - | Dodrantes                             | - | $133\frac{1}{3}$            | - | 11          | $1\frac{1}{3}$  |
| 8                                     | -                        | 40                        | - | Bessales                              | - | 150                         | - | 12          | 6               |
| 7                                     | -                        | 35                        | - | Sepennices                            | - | $171\frac{3}{7}$            | - | 14          | $3\frac{3}{7}$  |
| 6                                     | -                        | 30                        | - | Semisces                              | - | 200                         | - | 16          | 8               |
| De 100.<br>Florenis<br>quovis<br>anno | quovis<br>autem<br>mense | appellan-<br>tur<br>Usuræ |   | Sorti æquan-<br>tur spatio<br>Mensium |   | quicon-<br>ficiunt<br>annos |   | &<br>Menses |                 |
| 5                                     | -                        | 25                        | - | Quincunces                            | - | 240                         | - | 20          | 0               |
| 4                                     | -                        | 20                        | - | Trientes                              | - | 300                         | - | 25          | 0               |
| 3                                     | -                        | 15                        | - | Quadrantes                            | - | 400                         | - | 33          | 4               |
| 2                                     | -                        | 10                        | - | Sextantes                             | - | 600                         | - | 50          | 0               |
| 1                                     | -                        | 5                         | - | Unciales                              | - | 1200                        | - | 100         | 0               |
| $\frac{1}{2}$                         | -                        | $2\frac{1}{2}$            | - | Semi-uncia-<br>les                    | - | 2400                        | - | 200         | 0               |

Hanc Tabulam applicando ad Censum, apparet, Censum quincunces emptos pretio 100. florenorum, conficere annuatim 5. florenos: singulis autem mensibus 25. crucigeros: qui Censum, si annuæ pensiones in unam summam cogantur, pretio in emptione exposito æquatur intra menses 240. seu intra annos 20.

P. DANIEL CONCINA *de usur. contr. trin. pag. 382.* confundit usuras unciarias cum centesimis, & semiunciarias cum semilibus; id est, minimas cum maximis, §. 221.



§. 221.

Census *Irredimibilis* pluris æstimatur, & hinc majori pretio emitur, quàm *Redimibilis*. Sicut enim pactum in favorem venditoris appositum, uti est pactum retrovendendi, pars pretii censetur, ita ut diminuatur justum pretium, quo merx absque ea pactione æstimanda foret: (a) ita vicissim pactum in emptoris favorem, & onus venditoris appositum, quale est pactum *Irredimibilitatis*, rem facit magis æstimabilem, & auget pretium. Cùm autem rarò in Germania creentur Census novi *Irredimibiles*, ideo etiam nullam habemus legem publicam, quæ pretium Census *Irredimibilis* determinet. Ajunt, (b) Census antiquos *irredimibiles* in Germania constitutos esse ad rationem 25. pro uno, seu centum pro quatuor, ita ut annua pensio æquivalet usuris *Trientibus*. (c)

Pretium,  
Census Ir-  
redimi-  
bilis:

(a) L. 79. ff. de contrah. empr.

(b) FRIDER. MARTINI de Jur. Cens. c. 5. n. 17. FRANC. BALTHASAR pract. Resolut. p. 2. tit. 7. Resol. 1. n. 27.

(c) Conformiter Legi 3. §. 2. ff. ad leg. Falcid.

§. 222.

Circa Census ex parte venditoris *Redimibiles* varia olim erat Provinciarum consuetudo: (a) ex posterioribus Imperii Constitutionibus in Germania habent proportionem, ad 20. ita ut æquivalet usuris quincuncibus, & centum florenorum pretio ematur census florenorum quinque annuatim solvendorum. (b) Si tamen addantur singulares pactiones, emptori aut venditori præter naturam contractus valde favorabiles, æquitas postulabit, ut hoc pretium vel minuatur, vel augeatur. Quoad antiquos Census, nisi apertam injustitiam contineant, nihil immutatum volunt Constitutiones Imperii, cùm æqualitas pretii judicetur juxta æsti-

Redimibi-  
lis ex par-  
te vendi-  
toris:

Diff. III.

S

ma-



mationem rerum, quæ est tempore contractus. Sicut autem in diversis locis, sic etiam diversis temporibus varia est rerum æstimatio.

(a) Ex sæpe allegatis Extravag. MARTINI V. & CALLISTI III. colligitur, marcham unam annuam emptam fuisse jam decem, jam undecim, jam duodecim, jam quatuordecim, jam quindecim, jam viginti marchis. Vid. CONRADUS de Contract. q. 83. concl. 2. BINSFELD ad C. in civitate. q. 14. concl. 3. de usur.

(b) Ad hanc proportionem æstimatur Censuum annuus à MAXIMILIANO I. Imp. in Conventu Wormatiensi Anno 1495. in Edicto quod inscribitur: *Königliche Satzung von dem gemeinen Pfennig*. §. 4. Eandem proportionem servandam statuit CAROLUS V. Reform. Polit. august. 1548. tit. 17. §. 8. RUDOLPHUS II. Ord. Polit. Francof. 1577. tit. 17. §. 9. & tit. 19. §. 3. Consonant Statuta Bavaricæ Ord. Polit. lib. 2. tit. 1. art. 3.

## §. 221.

Utrique  
redimi-  
bilis:

Ubi consuetudo invexit Censuum utrinque redimibiles, ibi etiam pretium eorum per eandem consuetudinem figitur. In hac vicinia Quadrantes, Trientes, Quincunces in usu sunt: in vicina quadam Provincia etiam Semisses tolerantur. In Censu Irredimibili olim datos fuisse centum pro quatuor annuis diximus (§. 221.) ob pactum redimibilitatis in favorem Venditoris adjectum, auctum fuit pretium fere in quarta parte, ita ut juxta leges Imperii emerentur quinque pro centum, & darentur octoginta pro quatuor annuis: consequenter ex pacto redimendi in favorem emptoris adjecto, eadem proportionem diminuendum esse pretium aliqui existimant, ita ut tres floreni in singula centena emantur. (a) Exactiore demonstratione opus esset, ut hæc illatio censetur legitima. Mihi videtur, diversitatem locorum & temporum non pati, ut stabilis ab ullo auctore privato determinetur proportio: sicut pretium aliarum mercium pro diversitate locorum & temporum variatur, & plerumque augeatur. (§. 199. a.)

(a) FRIDER. MARTINI de Jur. Cens. c. 6. n. 268.

## §. 224.



## §. 224.

Major difficultas est determinandi justum pretium Cens-  
 sus temporalis, incerti temporis, quando scilicet comparatur *Vitalitii.*  
 Census ad vitam unius vel plurium. Nam ob humanæ vitæ  
 inconstantiam incertum omnino est, ad quot annos obliga-  
 tio solvendi censum sit extendenda. Si tamen consideretur  
 periculum ex utraque parte æquale, ac simul communis cur-  
 sus vitæ humanæ, poterit de justitia talis pretii ex arbitrio  
 prudentis viri aliquid definiri spectata ætate, ac valetudine  
 ejus, ad cujus vitam Census emitur. Exemplum unicum  
 liceat ponere, quo ad finem elapsi sæculi LUDOVICUS XIV.  
 Galliarum Rex, pro sustinendis belli sumptibus comparavit  
 novemdecim milliones & sexcenta millia librarum Franci-  
 carum, nunquam postea restituenda, (a) pro quibus vendi-  
 dit annuos Census vitalitios, (b) conficientes summam qua-  
 terdecies centena millia librarum. Emptorum constitue-  
 bantur septem Classes, pro varia eorum ætate. Cuilibet  
 classi assignabantur ducenta millia annui Census: conferre  
 autem debebant proportionatam summam pro pretio: sci-  
 licet prima Classis, quæ complectebatur infantes à quinque  
 usque ad decem annos ætatis, conferebat quatuor milliones,  
 recipiebátque 1. pro 20. seu quinque pro 100. Altera classis  
 complectens adolescentes à 10. usque ad 20. annos ætatis,  
 conferebat tres milliones, & sexcenta millia librarum, reci-  
 piens annuatim 1. pro 18. seu  $5\frac{5}{9}$  pro 100. Tertia Classis  
 continebat Juvenes à 20. usque 30. annos ætatis, confere-  
 bátque tres milliones & ducenta millia librarum, recipiens  
 annuatim 1. pro 16. seu  $6\frac{1}{4}$  pro 100. Quarta Classis nume-  
 rabat Viros à 30. usque ad 40. annos: conferebat duos mil-  
 liones & octoginta millia librarum, recipiens 1. pro 14. id  
 est  $7\frac{1}{7}$  pro 100. Quinta Classis admittebat viros à 40. usque  
 50. annos ætatis, conferens duos milliones & quadringenta  
 millia